F. K. 58. (17)
IV, Zb 7640

B. C. D!

# PANEGYRICUS
VIRO
*NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO*

# DNO. SIGISMUNDO HORNIO,

Suæ, h. e. HORNIORUM Gentis
Ingenti Decori,
DEO, PRINCIPIBUS PATRIÆ, MUSIS
Utili-Charo,
Ingenii dotibus & Dationibus
Inæſtimabili-Raro,
Rebus egregie geſtis Claro
Dictus

X2047437
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
Universitäts-Bibliothek Halle
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0001-8

REIPUBLICÆ FREIBERGENSI
Cui præfuit, & profuit, & dum fuit,
*Ejusdem*
Uni-Soli
Sociali Amori;
* * *
Ex aſſe, licet non ſine ſacris
Relicto Hæredi,
Dno. MARTINO ALBERTI
Potentiſſimi *Electoris Saxonis* Conſiliario,
& Freibergæ Conſuli &c.
Indies egregie Merenti.
* * *
Cœteriſq; b. *Defuncti*
dum vixit,
*Deliciis-Alumnis*
Virtutum ÆMULIS felicisſimis,
poſt fata
Vivis *Imaginibus Superſtitibus*
V I R I S
*Nobiliſſimo, Conſultiſſimis, PerReverendo, Jurium, variarumq; Scientiarum*
*& rerum peritiſſimis, Præſtantiſſimis, Doctiſſimis,*
Dno. JEREMIÆ GRAUPITIO,
Conſuli & Camerario
de hac Urbe Meritiſſimo, Primario
*Dno.* Joh. Auguſto Beuthero. *J.U.Cand.*
Electoralis Judicii Metallici Actuario
Accuratiſſimo:
*Dno.* Gotofredo Wolckenſteinio,
Senatori apud nos Solertiſſimo:
*Dno.* Chriſtophoro Eckardi, *J.U. Candid.*
Illuſtriſſimi *Comitis ab Hanaw* Secretario fid.ſſimo:
*Dno.* Georgio Fuchſio,
Chriſti Upilioni in Grentz Vigilantiſſimo:
*Dno.* Heinrico Eckardi, *J. U. C.*
Judicii Urbici hîc Actuario Doctiſſimo:
*Dno.* Joachimo Erneſto Spanio, *J. U. C.*
Et Cantori apud nos Ingenioſiſſimo:
*Dno.* Joh. Heinrico Kilio,
Scholæ Mariæbergenſis Tertio Dexterrimo:
*Dno.* Joh. Peterſilgio,
Ludimoderatori in Ehrenfriedersdorff / induſtrio.
*Dno.* Benedicto Georgi, *SS. Theol. & Matheſios Studioſo diligentisſimo.*
Omnibus deniq; *Stipendiariis*
*beati Def.*
Patronis, Fautoribus, Amicis
Maxumis-Optumis
Exaluminatiſſimis Edecumatiſſimis
Dicatus
à
M. ANDREA Beyern / ad D. Nicolai Eccleſiaſte.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0002-4

# B. C. D!

MIrarer, *Viri Maximè Reverende, Nobi-*
*lisſimi, Conſultisſimi, plurimum Reverendi, Prudentisſimi, Claris-*
*ſimi, Præſtantisſimi, Humanisſimi, Patroni Maxumi, Fautores*
*optumi, Amici Exaluminatisſimi, Diſcipuli dilectisſimi*, mira-
rer, *inqvam* ad hoc parentale Sacrum tam freqventes vos
confluxiſſe, niſi ſcirem Vos ingentes virtutes & perin-
ſignia animi bona Viri, cui hoc officium ſerius inſtituimus, qvàm dece-
bat, ſed immortaliter de hac Urbe meriti, *Dni Sigismundi Hornii, Conſulis*
*imo Patris hujus noſtræ Freibergæ paterrimi*, vel nota adhuc, vel fando audita,
candide admirari, poſt fata qvoqve. Enimv. ea certe ratione procul
dubio voluiſtis pars oſtendere, qvantopere & Virum amaveritis, &
nunc poſt tria fere luſtra extinctum, etiam num doleatis, omnes a. vir-
tutes & viri Curas æſtimetis. Et qvis abeſſe Viri illius laudibus velit,
(niſi imprudentiſſimus rerum ſit, & inficeti ruris prorſus plenus) qvi
tam præclare de publico meritus eſt, tam charus & honoratus toti Miſ-
niæ & proceribus Ejuſdem fuit? qvos qvidem ſi naturæ ordo redire in
vitam, qvâ ante & poſt ipſum pleriq; digreſſi ſunt, vel primos fortaſſe
in iſto tam venerabili cœtu conſpiceremus. Sed forſan & vos mira-
bimini, cur tam ſero hæc juſta celebramus? & ipſe miror, cur non-
citius? Certe ſi qvis feciſſet, nec præter morem veterum ac noſtrum-
feciſſet, nec indecori qvicqvam. Id enimè hiſtoriarum monumentis
conſtat, non modo Græcorum, gentis ſapientiſſimæ receptum moribus;
ſed & Romanæ conſvetudinis fuiſſe, laudare mortuos, qvi virtute ac re-
bus geſtis excelluerunt, publicè, eorumq; parentes, patriam, genus, uni-
verſam vitam deniq; commendare poſteris. Exiſtimabant intereſſe
Reipublicæ Clariſſimarum virtutum exempla noſſe, ubi haberent juni-
ores, qvo excitare indolem, & velut normam qvandam ac Regulam, ad
qvam mores ſuos exigere poſſent vel emendare. Et profecto, ſi â qvo-
qvam ea omnia, ab hoc noſtro diſci luculenter potuiſſe & veriſſime-,
audacter pronuncio, cùm non ignoremus, & multos veterum in eo
negotio ita ſe tractaſſe, ut majore ſuorum ſtudio, (nam eas laudes à
propinqvis decantari præcipuè mos erat) qvàm veritatis ducerentur, &
falſis adeo ac fictis laudibus non tam ornarent defunctos, qvàm onera-
rent, qvo accidebat, ut hæ laudationes funebres non ſuſpectæ modo fie-
rent, ſed palam qvoq; à magnis autoribus vitiatæ rerum materiæ accu-
ſarentur. Verùm tantum abeſt, ut qviſpiam fingere hîc aliqvid habeat-
neceſſe, ut longe infra merita etiam Rhetoris eloqventiſſimi videri facil-
lime poſſit oratio. Sed dum hæc dico, dici poſſet, unde Tibi tantum-
audaciæ tandem, qvi vario potius & incompto, qvàm polito, & qvod in
pretio poſt Arpinatis eſſe cœpit, Buchneriano loqvi dicendi genere-
conſveviſti hactenus & ſcribere. Deceret hæc ſparta doctiorem, qvi de
qvacunq; re aptè, prudenter, copiosè, explicatè, abundanter, illuminatè
& rebus & verbis, numeroséq; dicere poſſet, adeoq; juxta mandatum &
votum oratorum facundiſſimi, Ciceronis ſcil. aut huic proximi cujꝰ piam
alius genium atq; orationis nitorem. Vellem & ipſe alium audire, ſed
cùm hactenus nemo prodierit, neq; me id muneris adeo dedeceat (gra-
titudinem enim redolet, & meam ad buſta hujus Patroni in lachrymas
ſolutam qvaſi ad vitam revocare & publicè poteſt ſiſtere) pro tempo-
re, h. e. tamdiu donec melior prodierit conari aliqvid volui potius,
qvàm

qvam planè ſilere, cùm imprimis hic fructum â me repetere prope ſuo jure poſſit earum rerum omnium, ſi qvid in me ingenii, qvod ſentio, qvàm ſit exiguum, aut ſi qva exercitatio dicendi, in qva me fateor mediocriter eſſe verſatum: aut ſi hujuſce rei ratio aliqva ab optimarum artium ſtudiis & diſciplinâ profecta, â qva ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: Nam qvoad longiſſimè poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis & Scholaſticæ ſpartæ memoriam recordari ultimam: inde uſq; repetens, hunc video mihi poſt Deum, principem & ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorem extitiſſe. Qvod ſi hæc vox hujus auctoritate nonnullis aliqvando ſaluti fuit, cui id acceptum referre debemus, qvo diſcipulis opitulari, & alios deinde laudare potuerimus, huic profecto ipſi, qvantum ſitum in nobis, gratum teſtari animum debemus maximè, & infantiam dicendi prodere citius, qvàm intactas plane relinqvere tanti viri eximias laudes. In qvas qvidem nolo etiam deſcendere, qvibus qvippe perſeqvendis aptus non fuerit, niſi qvi virtute atq; ingenio par proximus ve ipſi potuit eſſe. nec tamen ut plane prætercam, faciunt, ut dixi, beneficia, qvibus cùm jamdudum me, tum maximè hanc totam urbem ejusq; Patres Sibi devinxit conſcriptos, & ſingulares Viri virtutes atq; ingenii dotes. Eqvidem affirmare nihil verear, non iri inventum temerè, in qvo aut major in conſiliis inveniendis facilitas juxta ac felicitas, aut exeqvendis probitas, aut in adminiſtranda Rep. integritas, aut tuenda aſſerendaqve juſtitia incorruptum magis fervidumq; ſtudium, præqvam in illo fuit, illuxerit. Non ſum tam iniqvus æſtimator temporum noſtrorum, ut premere velim & mortuorum & viventium gloriam: qvin potius ingenua confeſſione fateor, fuiſſe & eſſe adhuc per Dei gratiam, qvi de Rep. indies præclare prorſus merentur: hoc tamen minime vereor pronunciare, & paucos eſſe eos, & pauciores, qvi Hornii noſtri famam ſuſtinere qveant. Tot unus Ille poſſedit virtutes, qvot invenire in pluribus hodie ſingularis prope fuerit felicitas. Qvis auſit negare ipſius prudentiam ſingularem fuiſſe in Rep. noſtra? nam & ſolers perqvam ingenium, & judicium, ſiqvis alius limatiſſimum ac prope divinum ſortitus erat. acceſſit pietas, fides, induſtria, patientia laborum, ſummum juvandi omnes ſtudium: cumprimis v. animus rectè compoſitus, qvi adverſus divitias magnus, contra offenſas liber, ad ſufferendam invidiam conſtantiſſimus erat, ut non tam uſu ac conſvetudine, qvàm ab ipſa natura ad curandas res arduas, qvibus præfuit, factum fuiſſe exiſtimare liceat. ô igitur Virum non modo ſuperiorem noſtro ſeculo, ſed multis veterum præferendum! Cujus ſummas maximaſq; virtutes nec prædicabit ſatis ulla poſteritas, nec dignum præmium ejus præclariſſimis meritis rependet! Excitaverimus licet arduas & ad verticem fere fani b. Virginis tendentes moles; æraq; ſcitè Ipſius in vultum, ac ligna in Angelorum imagines juxta ipſum emolliverimus, is tamen honor magis noſtro affectui ſatis fecit, qvàm tanti viri memoriæ ſuffecit, Cui nemo dignius perenniuſve monumentum ſtatuat, qvàm qvod ſibi ipſemet in noſtris mentibus dudum erexit. Inibi igitur non mox marceſcentia ſerta, & brevi perituros libabimus flores; ſed manſurarum laudium ipſi ſuſpendemus coronas, ut licet erept⁹ ſit noſtris oculis, & procul à nobis felix ævum agitet, ejus tamē pietas, innocentia, fides atq; induſtria nobiſcum in terris ſemper commorentur. Interea tamē danda eſt opera, ut Eidem tam bene de Rep. meritiſſimo, decens & qvantum fieri poteſt, ſplendidiſſimus apud poſteros exhi-

beatur

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0004-5

beatur honos & qvi inſenſus incurrat. Cùm v. nuperum non diſplicere viderimꝰ conatum in ſimili negotio, faciemus nunc pro modulo ingenii tandem in Hoc periculum, & hiſtoriam ipſius tanqvam *veri cujuſpiam Cornu Amaltheæ* aut *genuini Unicornis*, non illo qvidem accurato & qvod morſos ungves ſapit, uti par erat, ſed iſto extemporaneô exponemus, tenuiqve dicendi genere, qvo gaudent ferè, qvi majoribus ſpatiis ad cogitandum ſunt excluſi, qvod & nobis inpræſentiarum uſu venit. Veniam igitur eâ de cauſa iri datum ſperamus vel ideo elegantiæ deſideratæ & qvi ſimiles viros decet, cothurni, qvòd b. *noſter Hornius* dum viveret ipſe ſtudioſior veritatis & ab omni vanitate atq; inani gloria alienior ſemper fuit. Nam ſua ſe involvens virtute, qvam ipſam ſibi mercedem omnium pulcherrimam in conſcientia rectè factorum nôrat præſtare, externas laudes, & in quibus multi hodie, etiam qvi ſapientes exiſtimantur, prope intolerabili modo inſaniunt, magna ſecuritate contemnebat; non raro ſtomachanti proprior, qvum ventoſiſſimi ſeculi nugas deteſtabatur; Sin minus omnibus, iis certe non erit moleſtum, qvi patrocinio tanti Viri uſi ad eam famam ac, qvâ nunc floreut, conditionem profluxerunt, ſemel adhuc audire, qvo autore profecerint. Cœteri, maximè juventus noſtra Scholaſtica, qvo impoſterum poſſint ac debeant.

Mirum qvàm varient tum naturæ ſcrutatores, tum Medicorum filii, cùm *Unicornu* Originem doceant; alii intra viſcera terræ; alii in Indiarum parteſq; terrarum varias; alii extra orbem planè vel non procul ejuſdem terminis ablegant curioſos eorum æſtimatores. *Noſtro huic unicornu* Natales ſuppeditavit olim Anno poſt C. N. 1608. octavo Idus Aprilis hæc *noſtra Freiberga* optimorum mater & nutrix ingeniorum non infœcunda, & ideo felix, qvòd ſibi & aliis in progignendis educandiſq; non ſit nocerca Rectoribus. *Patrem* enim habuit ex antiqva & per duo fere ſecula cùm aliis in locis, tum hîc in patria celeberrima *Horniorum* Gente oriundũ, *Virum notæ prudentiæ & inculpatæ integritatis Dn. Nicolaum*, Senatorii ordinis, â liberalitate & egregia Summa Muſis ac Miniſterio legatâ pecuniæ notum, parentis ab eadem integritate, Prudentia, Ordine ac Liberalitate, & in tantum laudandi, in qvantum virtus, *Dni. Gaſparis Hornii*, æmulum! *Matrem* v. in optimorum parentum ſinu educatam, pietatem, frugalitatem, pudicitiam & rationem probe adminiſtrandi domeſticam rem egregiè doctam, *Annam*, *Clariſſimi Viri, Petri Nizſchii*, Senatoris apud nos *filiam*, ex nobilibus *Rölingiorum* & *Hilligerorum* familiis ortam. Patricio itaq; ſangvine cretum hoc *noſtrum copiæ cornu*, campum oſtenderet excurrendi in laudes *Horniorum*, *Schönlebiorum*, *Buchführerorum*, *Rölingiorum*, *Hilligerorum*, *Nizſchiorum*; qvi perpetuis ſe matrimoniis connexuêre & in explicabili ſerie, niſi alia forent, qvæ revocarent. Non tamen non poſſum attingere adhuc *Horniorum* liberalitatem aliorum, qvâ laudanda Eruditorum ordinem proſecuti plures, non exiguæ ſummæ pecuniam legarunt, unde pauperiores Scholaſticorum hujus loci veſtiarium qvotannis accipiunt. tùm qvod egregium hunc Horniorum qvaſi proprium animum, noſtro qvoq; connatum oſtendam, qvippe qvi inter alia magnificentiæ ſpecimina, qvibus poſteritati memoriam ſuam commendavit, ſimilis ſortis, hoc eſt, paupertinæ juventuti de veſtibus qvoq; in teſtamento proſpexit; tùm ut merita laude ne privetur hæc gens; tùm deniq; ut alii ad ſimilem munificentiam inveniantur. Ecqvis igitur non credat multum exiſtimationis accedere *Huic noſtro Conſuli* ex ejus modi familiis orto, in qvâ ſemper honor & ſplendor virtutis enituit, & ex qvâ de Muſis ac



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0005-0

ipſorum Cultoribus, Sacro Miniſterio & Præceptoribus, vel ſolo Legato *Caſparis Hornii*, 500. florenorum, & altero *parentis Nicolai Hornii mille florenorum* teſtibus, tam bene meriti ſunt; Certe rarâ ſtemmatis præſtantia pollentem Virum vel hoc nomine inter nobiliſſimos reponendum, nemo alius negaverit, niſi qvi vetuſtiſſimis familiis pretium communi præſentis, eoq; non contemnendis rationibus innitente ſuffragio tribuendum, non ſine hominis vel invidi vel inſipientis notâ imminuere ſuſtineat? imò ſi nobilitas nihil aliud eſt, qvàm cognita virtus, qvis in eo, qvem veteraſcentem vidimus ad gloriam, generis antiquitatem deſideret. Non nego me quidem cum antiquiſſimis ſapientiſſimiſq; Philoſophis cenſere, parentum majorumq; noſtrorum laudem, non noſtram, ſed alienam eſſe: addo cùm illorum virtutes deſerimus, eandem perperam factis, plus turpitudinis, adeo nihil excuſationis afferre: abſit tamen, ut diffitear, tùm generi haud qvaqvam degeneri, tùm rerum præclaro eventu dignitati geſtarum egregium ſemper addere fulgorem. qvin paternum avitumq; decus inſtar publicæ facis habeo, cujus præſentia populis terriſq; diem, abſentia noctem adducit: Cujus ſereniſſimus nitor, in qvas incidit maculas, conſpectiores; contra qvicqvid per ſe lucidum, irradiat, multoq; ſplendidius efficit. Qvemadmodum ita clariſſimis progenitorum veſtigiis Conſul noſter à teneris inſtitit: Sic ad poſthumam ejus famam non parum facit, qvod ex ſtirpe antiqvâ ad culmen tot dignitatum pervenerit, cui lumen lucratur haut exiguum illa ipſa familia, in qvâ ſemper honor & virtutis ſplendor enituit, & è qva, qvi fere fuêre, de Rep. noſtra ac literatis benè mereri, ſummam felicitatem ſunt interpretati.

*Noſtro Hornio* non modicum alacritatis ad virtutem, qvem jam inſitus qvidam Spiritus ad celſiſſimos qvoſq; honores rapiebat, paternæ avitæq; laudis contulit memoria. Vix verò domi pietatis & literarum rudimenta ponere inceperat, cùm patris ingemiſceret funeribus, poſthæc Cognatorum conſilio ut omnibus liberalibus, maximè tamen claro patriciorum ſangvine dignis imbueretur, Dreſdam amandatus eſt, domicilio & convictui traditus Adfinis Dn. D. *Alexandri Fabri* Viri multis Virtutibus nobilis, & qvi ſumma cùm Juris, tùm aliarum, in iis qvoqve civilium rerum peritia, ſuam indelebili poſterorum memoriæ commendavit. hic in contubernio cum nobili juvene Carolo Alberto à Goldſtein, (qvo deinde ex Academiis redux diu uſus eſt familiariſſimè noſter) liberaliter educandum curavit & informandum. Sed ubi noſtrum non minus ætatem, qvàm contubernalem eruditione prævertere videret, primum in *Leucoream*, & biennio ibidem in omni diſciplinarum genere feliciter tranſactô, in *Jenenſem* ablegavit ad Affinitates, qvas Soror ipſius *Margarita* & Magnum Juris-Conſultorum Decus *Oſwaldus Hilligerus* Anteceſſor & Jurium ibidem Profeſſor, ejus maritus conciliârant, hâc deinde digreſſus, in *Noribergenſium Altorfinâ*, imprimis civili doctrina, juris ſcientiâ & qvæ ad utramq; non exiguum pondus addit, hiſtoriarum cognitione animum exornavit. Certavit ubivis verò cum annis ſtudiorum profectus, qvæ non rudimentis-tenus attingenda non eminus & voto affectanda, ſed interiore ambienda commerciô eſſe iis videbat, qvi communibus Reip. utilitatibus ſuam ætatem, ſuam operam cuperent rite conſceratam, qvod ipſi Horniorũ genius ſvadere viſus eſt, ſemper Reip. & Patriæ hactenus in Curia utilis. Dicundo juri, non pervertendo præparavit pectus, naturali qvodam proſecutus odio ventoſa animalia, foriq; crepi

pi

pitacula Rabulas, qvos peſtes Reipublicæ judicavit ſemper, eorumqve mercenariam loqvacitatem execratus eſt rectiſſimè. Neq; enim jus defendunt, ſed evertunt, lites ac controverſias inter homines non tollunt, ſed alunt ac fovent vel inſcitia vel avaritia vel improbitate. Sed tantum abeſt, ut hic noſter litibꝰ vacaverit ſerendis inſtituendiſq;, ut ita potius controverſiis ſtuduerit aliqvando tollendis, neq; tamen inſuper haberet ſimul alia ſtudia & inter ea, illam qvoq; diſciplinam, cujus ignaros divinus Plato Suæ Academiæ ſpatiis, pro foribus tanqvam edictô propoſitô, ingreſſum vetante, excludebat. Mathematicam puto, nobili ingenio digniſſimam ſcientiam excoluit, qvantum ſatis erat. Lingvas qvoq; fuiſſe cordi doctorum, æqve ac barbaras, interq; illas elegantulam Italorum, Mercuriolus ſive ejus nervoſa lingvæ Grammatica, qvæ Ipſi cum nobiliſſimis qvibuſdam ſtudioſis fuit, dedicata, facit ut credam. Id dubio caret, & teſtantur nomina non ſine amicitiæ præfamine Albo ipſius inſcripta, extitiſſe Viris familiariſſimum in omnibus locis doctiſſimis, qvorum vel ſola converſatio qvid non affricare potuit noſtro? qvi tum ſtudiorum, tùm illius qvoq; rei cauſa demum *Argentinenſem* luſtravit & *Lipſienſem*, in qva febrim, verius ipſum febris habuit, & ad prædia veteris ſed generoſi Contubernalis à Goldſtein ejecit, ut vacaret divæ illi, qvam credebant gentiles, peſſimæ, tandiu donec cum meliore diva, Hygea rediret in gratiam. Jam itinera volvebat animô. Dreſdam redierat & ad ſororem diverterat Philoſophiâ, qvantum ſatis erat inſtructus, Mathematica informatus, Hiſtoriâ gravis, Juris prudentiæ peritus, politicam veram doctꝰ: ut verò experientiâ variarum rerum conſummaret tot ornamenta ab exteris petere viſum eſt, ut tandem rediret ſive ad familiæ præſidium, ſive ad patriæ reiq; publ. ornamentũ, tùm cultior, tùm in converſatione eruditior & rebꝰ aptior omnibus. Exteros itaq; adire conſtituerat, ſed Bellona interceſſit & mox cõmoda ſe obtulit occaſio alia. deſtinaverat tunc temporis Potentiſſimus Elector Saxoniæ Joh. Georgius glorioſiſſimæ memoriæ, Francofurtum ad magnũ uti vocabatur deputationis Diem, qvi ſuô nomine reliqvorum Imperii ſacri Procerũ Legatis intereſſent, & rem omniũ maximi conſilii, nec minoris voti, Pacem ſcil. in Europâ tractarent reducendam. Elegerat qvibus Sanctior Senatus ſaluſq; Saxoniæ in maximis belli nitebatur periculis & ſplendebat, Generoſum Dn. à Sebottendorff, Nobiliſſimum Hoffmannum, Zeidlerum cognominatum, & Conſultiſſimum Dünzelium, Viros non niſi magnis natos gerendis rebus, & expediendis. in horum familiam aſcitus hic noſter, & ad Principum prius arbitranda adhiberi voluit negotia, qvàm dirimendis Civitatum difficultatibus aliqvando præficeretur. diſcere volebat in majorum gentium officinis ac curis provinciarum qvomodo deinde Civitatibus præ eſſe & prodeſſe poſſit cum laude & minoribus Rebus publicis. Et ſane in hoc itinere eluxit, qvantis recondita indoles ſufficeret curis, animadverterant ſagaciſſimi legati animum in Hornio maximarum rerum capacem, uſi ſunt commodè, qvoties deliberatu moles gravior premeret, & miſerunt qvoq;, ut ipſorum fungeretur munere, Moguntiacum ad Svecorum lucidiſſimum eâ tempeſtate Sydus & Cynoſuram fœdere junctorum Oxenſtirnium, & ſenſerunt, nec ſe potuiſſe rem gerere felicius & magis ex voto. Licebit vel inde conjecturam facere, qvantis curis, qvantiſve negotiis hic noſter potuiſſet deſtinari, niſi patriæ amor abſtraxiſſet, qvod ex laudato tantorum legatorum Conſortio tantum etiam Lumen ortum, qvod Principes & ipſorum loco miſſos in admirationem rapuit, *Illuſtris*



*nim.*

*nim. Auguſtinus Strauchius* Patris Patriæ Intimus Conſiliarius, qvi tunc Studioſus in eâdem Legatione pluris qvidem jam fieri cœperat & actibus immiſceri, nondum verò tanti, qvanti jam noſter tam peritis rerum æſtimabatur arbitris. Qvare reduces in patriam cùm paulo poſt Berolinum in re non minoris momenti mitterentur, hunc noſtrum aſſumpſerunt comitem & experti ſunt fidum Achatem. Domum reverſuros deprehendit cum Sociis inopinata vis frigoris, vehementior qvàm unqvam ante ſævierat, & cœteri ferre poterant, ſed hic noſter vili amictu abarcebat & ſuperabat divinâ gratiâ. Scilicet amat divina Providentia, non exercere magis incertis ſubidiſq; caſuum virtutem heroum, qvam præſtantiam, ſalute inter ancipitia rerum ſervata, velut illuſtris documento mortalibus declarare. Certe præſentiſſimæ morti tum ereptus non tam periculi magnitudine multatus, qvàm miraculo liberationis & amatus â Deo plurimum & honoratus videbatur. Ab eo tempore paternis prædiis boniſq; ne belli flamma plane conſumeret, laudabiliter adminiſtrandis aliqvam diu inſumpſit, neq; tamen Patriæ defuit laboranti ac obſidione diriſſima tantùm non ſuccumbenti. Invaſerat hoſtis noſtram Freibergam bello & malè multabat, extrema minatus, niſi deditionem faceret, videbat neq; mœnibus neq; propugnaculis, vallis, foſſis, aggeribus ita munitam, ut ne potiri poſſet tam nobili clave totius Bohemiæ; ſpe devoraverat Freibergam, & actum qvoq; fuiſſet, niſi tàm fortes animô heroes & imperterritos habuiſſet, tam peritos duces, qvi aſtutiis hoſtium aſtutias eluſerunt feliciter. Vigilabant poſt geminum illud Sidus Caſtoris & Pollucis, Strenuiſſimum *Schweinizium*, & Urbis noſtræ decus immortale *Jonam Schönlebium*, alia duo Aſtra; Nimirum Nobiliſſimus *Muffelius* & noſter *Hornius*, qvos ſtudiorum amor Mathematicorum conjunxerat & peritia, hi non minorem illis operam præſtabant dulciſſimæ noſtræ Freibergæ. Enimv. ſicubi hoſtis ſtratagemata meditabatur, hi qvaſi odorati prævertebant & evertebant maximâ ſolertiâ. hic iterum caſus inopinus hunc noſtrum Hornium è medio in altum ſuſtuliſſet, ſuppoſitus ſcil. pulvis tormentarius, niſi iterum divina Pronœa tantis deſtinati Viri rebus abſolvendis ita curam geſſiſſet, ut nulla eum vis extingveret, nulluſq; caſus interciperet majori Patriæ emolumento. Viderat v. prudentiſſimus Patriæ civitatis Senatus, ingeniorum publico natorum Bono, cenſor, Viri virtutes & animi dotes non ſemel, dignum ordine ſuo, dignumq; iis honoribus judicavit noſtrum, qvos Parens ipſius & Avus Cognatiq; cum ſingulari laude geſſerant ante, & non niſi cum vitâ poſuerant. mirô igitur ſuffragiorum conſenſu iſti loco admoverunt, in qvo præclaras tùm induſtriæ conſtantiâ jugi acqviſitas, tùm peculiari alicui nativitatis genio adſcribendas dotes tanqvam in Theatrô innumeris ſpectatoribus expoſitus exerere palàm, communitatiſq; tùm conſervandis, tùm in majus provehendis commodis poſſet impendere, & qvantum ingeniô, qvantum peritiâ rerum civilium, qvantum denique prudentiâ poſſet, deinde immortali ſuâ cum laude oſtendit luculenter, præſertim per illa tempora, qvibus vix prudentiſſimus ſufficiebat. Afflixerat v. penè rerum converſione omniũ noſtram qvoq; Freibergam fatis admotus terminus, qvi Imperium fecundiſſimô potentiæ curſu ad Europæi Orbis decus apicemq; provectum ingenti motu concuſſerat, & obſidio bis repetita, bis qvoq; fortiter exantlata, peſtis cujusdam inſtar & epidemii morbi militaris ulcerationes reliqverat periculoſiſſimas & cicatrices vulnerum altiùs inflictorum, qvàm ut ſpecioſis, qvæ promittebantur,

bantur,

bantur, pittaciis curarentur. Tumeſcebant igitur ea ſubinde, qvæ tem-
poraria curatio, & facta ſpes melior, ſed inanis texerat, fidiſſimæ Reip.
vulnera, & oſtendebant undiq; periculorum ancipitia, inq; immenſum
augebant Ejuſdem benè gerendæ difficultatem. Ad Eam ſuſtinen-
dam pariter atq; profligandam opus erat Atlantes qvoſdam & Hercu-
les, non è fabulis optare, ſed è cœlo in ſalutem civitatis expectare, neq;
niſi optimos qvoſq; ad curas publicas multa dote & arte ſuſtinendas
accerſere natos factoſq;. Certe & illud extra dubium fortaſſean ponant,
qvi accuratiore ſtudiô conditionem regundarum rerum publicarum
ſcrutantur, Freibergenſis ab eo tempore tractationem plus aluiſſe re-
conditioris prudentiæ & laboris, qvàm in maximis qvibusq; ſuſpicari
unqvam fas fuerit. Factum eſt illô ſive onerum ſive vulnerum incom-
modo, ut nemo ſuis partibus feliciter fungeretur, niſi genium Reip. cu-
ratè percalleret. Sed noſter ubi in ſanctiorem Boni publici officinam
A.D. 1644. communi & veluti una totius Urbis ſententiâ erat receptus,
A. C. 1646. Ædilis, A. 1648. Syndicus & Inſpector Ærarii Eccleſiaſtici,
A. 1653. Prætor dirimendis litibus Juſtitiæq; promovendæ delectus, 1657.
rationibus in Camerâ accepti expenſiq; computandis, deniq; clavo Reip.
totius regundæ ſupremus gubernator admotus, lignorum qvoq; curâ
extra Urbem ſuſceptâ, adeoq; per gradus ſemper ad majores ſpartas ex-
ornandas promotus, ſatis tamen ubiſq; fecit, minimæ non minus qvàm
maximæ. In oculis Dominorum Collegarum & urbis hujus inter bo-
norum applauſus & prudentum admirationem veluti in ſtadio currebat,
hoc unum meditatus, animô dies noctesq; in id intentô, ut cum qvibus
ad unam metam, ſalutem publicam contenderet non præverteretur di-
ligentiâ, ſpartæq; cujuslibet indolem noſſet ad ungvem & ſatisfaceret,
& qvæ ex ea in Remp. ſolent commoda promanare, in eam qvoq; deri-
varet ſedulò. Dixeris nemini Patrifamilias tàm accuratè tàm expeditè
Rei familiaris ſuæ partes perſpectas eſſe, judiciô & notitiâ comprehen-
ſas, ſicut is Remp. ſuam, inq; eadem qvaslibet functiones pervidit, inge-
nio complexus & diſpoſitione non minùs probatâ, moderatus eſt ipſe,
qvàm ſtratâ jam viâ ſucceſſoribus ſingulas reliqvit regundas proſperri-
mè & facillimè. Certe qvicunq; in qvocunq; Reip. noſtræ negotio,
Magiſtratu, aut dignitate verſantur, Horniana veſtigia primum inveni-
unt, mox diſcunt intelligere, deniq; ſtudent æſtimare & æmulari. Ipſe
Reip. genius ut ſic dicam & fortuna animis Patrũ Conſc: ſingulare publici
Egregii tuendi Arcanũ, Imitationẽ, inqvam Horniani Exempli per omnia
ſpectati, tandẽ probati ac felicis, inſpirat ſimul ac ad Remp. accedunt, omni-
bus. Neq; ſine causâ. Nullus enim præterea Rector navis tàm pro-
bè gnarus locorum, cœli, ventorumq; mores tam perite intelligit, & ex
ſignis colligit ominaturq;, qvid inſtet, aut qvæ ſecundum ac facilem cur-
ſum promittunt, in tempore occupet, & qvæ minantur ambigua triſtiá-
ve, declinet maturè ac caveat: neq; qviſqvam ventorum tam ſolers peri-
tiam & artem opponere fortuitis, qvorum maximè omnium capax eſt
mare, qvàm noſter indefeſſo labore didicerat jam, qvomodo inter
ipſam tempeſtatem, & procellas ſeculi velis remiſq; moderandum, cla-
vus obtinendus, curſus non deſerendus, navis deniq; Reip. eſſet ſervan-
da. Hæc enim & talia non intimè modo perſpecta ſed ad præſentiſſimos
uſus prompta habebat noſter Hornius. Qvæ ad Senatum & Judicia,
ad ſtatum Regiminis & munia, ad jura civium, mores Civitatis & arca-
na, Patris deſideria Patriæ & Reſcripta, vicinarum Urbium conſilia,

& totius nobilitatis, exterorum qvoq; propoſita pertinerent, qvid opis aut ſubſidii aut ſpei in civibus & Urbis proventibus ad Reip. facultatem extaret, qvid, & unde importari poſſet utiliter, qvid exportari, qvæ Rei permovendis metallicæ commodis, & qvæ minus ex uſu forent, & ubi altera alteri mutuas ferre operas deberet, aut parum deceret, qvomodo perturbationi temporum intercedendum, qvomodo cum magnis neceſſitatibus ſumptibusq;, imò contractis ærarii publici Debitis tenuitas, Civiumq; paupertas eſſet concilianda. Hinc nihil domi foriſq; nihil abſq; conſiliô ejus & ope ſuſcipiebatur, qvicqvid deliberatu arduum, actu impeditum, in hujus humeros rejiciebatur, qvicqvid inventi novitate emendandum, reparationis induſtriâ reſtaurandum, dirigentis auctoritate muniendum. conſvetudo aut caſus temporum ſuppeditaverant, Ipſum expectabant. Oraculum erat qvaſi Reip. noſtræ, reſponſa raro fallebant, ſemper ex ubere qvaſi ſapientiæ fonte in Patriæ incrementum permanabant conſilia, licet ſcopum non ferirent. Sed conſilia non ex eventu, verùm ex intentione judicanda Hic noſter inſuper acer in conſiliis erat, Boniq; communis ſiqvis unqvam Studioſus, à ſententiâ, qvam ſemel impreſſerat animo, non facile diſcedebat, ſed nec facile ſtatuebat apud animum niſi diu multumq; rem agitaſſet animo ac expendiſſet. Conſtantis deinde, & in iis, qvæ omnium ſaluberima ſecum habitans ſtatuerat, perſeverantis fama delectabatur ingenii. Complectebantur v. ejus curæ omnium ſalutem cunctamq; Remp. & ubi difficultas rerum erat major, qvàm ut cederet conſiliis, tollendæ tamen ponebat fundamenta & qvanqvã pertinacia obſtaret, parum tamen â perfectione maximorum aberat operum. Omnia in eô ſumma erant. Qvemadmodum apud Athenienſes ſacra navis, qvam Paralum vocabant, reſervabatur ad rem communem maximi momenti: Sic non niſi virtuti ejus, fidei ac felicitati illa committebantur, qvæ impedita ac dilapſa revocare in integrum aut explicare vix alius audebat. Si Comitia, qvæ tunc crebrò habebantur & difficillimæ conſiderationis, reqvirebant, qvi mitteretur ad tot viros Summates, tot eqvites ſplendidisſimos, tot præſtantiſſarum Civitatum Oratores, ad rerum graviſſimearũ deliberationem, communi ſuffragio nullus aptior ſubitis illis conſiliis noſtrô credebatur *Horniô*. Jam documenta ſingularis cujuſpiam habebant, qva in reſimili maximè opus eſt, prudentiæ, cujus ductu ille, magna ſagacitate abditas res & qvaſi ex minimô minimi digiti articulô totius molem corporis h. e. ex levi indiciô Univerſi compagem negotii inveſtigabat, inveſtigatâ comprehendebat, comprehenſam digerebat & componeebat, diſſipata colligebat, collecta dividebat, præterita cum præſentibus comparabat, cernebat inſtantia, futura conjectabat, extrema conferrebat primis, omnium rerum curſum & eventorum conſeqventiam notabat. Hæc norant reliqvi b. noſtri Collegæ & præterea hanc ipſam rerum prudentiam agendarum ipſi non ex otiô ſolum literarô, ſed negotiô non uno eſſe natam, non ex præceptis modô; Sed factis, neq; libris tantùm legendis, ſed rebus difficillimis Principium qvoq; expediendis, qvibus aliqvando aſſederat, ſibi comparaſſe. Videbant & admirabantur Virum naturâ & divinâ benignitate ad animos homimum auctoritate permovendos qvodammodo eſſe factum, omniqve impetrabilis efficaciæ inſtrumentô exqviſitiſſimè adornatum, ex uno illius pectore inuſitatam conſiliorum copiam dimanare, in unô ſæpe momento ampliſſimi proviſionem temporis concipere, in abditiſſima obſervationem, in diverſiſſima cognitionem, in ſubita-

nea

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0010-8

nea rationem ſufficere. Inde & toties repetita ad Comitia legatio, inqve iiſdem ordinum ac Civitatum Horniani Nominis veneratio, in fama ac ore hominum teſtatiſſima, ſummarum artium prædicatio, qvæ omnia fœcundam dicendi materiam ſuppeditare poſſent, niſi anguſto tempore conſtrictis vix tribus liceret nobis verbis indicare. *Hornium* noſtrum obiviſſe Legationes numerò plurimas, tempore diuturnas, tractatione & laboribus maximas, aliqvoties ſolum qvandoq; cum Collegâ, ſemper v. cum auctoritate & ſucceſſu iviſſe, egiſſe, pertendiſſe. In Commerciô non civitatum ſolùm; ſed Eqveſtris dignitatis non difficultates modò rerum, verum etiam ſuorum ac omnium expectationem viciſſe. Undecies, qvod ego novi, reipublicæ cauſa in Comitiis fuit, ſæpius ſex menſibus Patriæ conſpectu ac neceſſitudinibus caruit, ut iis cives ſui inter cariſſima pignorum tranqvillè fruerentur. qvorum interim ſomnos illius vigiliæ, ſecuritatem illius pericula cuſtodiverunt, qvibus neq; paucis, neq; modicis, ſed fultus ubiq; ſuâ virtute ac fortunâ, adeoq; non citra honorem magni Exempli defunctus eſt. Lubens prætereo hîc, qvantum præſtiterit in *Cæſaris Invictiſſimi, Electorisq; Saxoniæ Potentiſſimi ac reliqvorum ſtatuum Circuli Saxonici, ac profuerit* negotiis, Satisfactionum an Exactionum non dicam, ſolutionibus, reducendoq; milite, gloriam alteri jam habent, noſter meruerat, qvæ modeſtia Viri erat, ille ſuppeditabat conſilia, alter exeqvebatur & gloriam reportabat ac præmia, hic noſter rectè factorum conſcientiâ contentus non ceſſabat Patriæ optimè conſulere & ſuppreſſô nomine, qvanqvam nec planè latere poterat Viri gloria, ſed Jovibus humanis æſtimata virtus, Proceribus etiam innotuit, qvi norunt & prædicant, qvanta diligentia ipſe in putandis Imperii, Romani rationibus, qvæ ipſi erant commiſæ, ſemper fuerit uſus. Enimv. bene accepti ratio atq; expenſi inter Imperatorem ejusq; præfectum & ipſum de Auri qvoq; Tonnis uti vocant, & multis ſolutis pecuniarum convenit ſummis, veluti rationes etiam num apparent & loqvuntur. Fuit itaq; Principibus qvoq; gratus, ſed nunqvam jactavit. A vanitate ille inanis gloriæ longè ſemper abfuit, qvi ſibi potius & interno illi cenſori, qvàm vulgi rumores captare, ſtudebat. Lipſiô Judice, qvidā merentur, gloriā qvidam habent: Pliniov. facta dictaq; alia ſunt clariora, alia majora. fortuna, ut gentilis loqvi amat, res cunctas ex libidine magis, qvàm ex vero celebrat obſcuratq;. Forſan ſiqvis alius Remp. tam ſaluberrimis ſtabilîſſet conſiliis ac inſtitutis, nomen vagaretur ejus longè atq; latè, ſedem ſtabilem & domicilium certum non haberet, ſed laudibus ad cœlum uſq; tolleretur: Sed cùm ipſe ex connatâ qvadam modeſtiâ collapſæ Reip. voluerit potius qvàm famæ ſervire, laudes ejus, rei obſcurari oblivione poſſe tandem viſa eſt. Verùm dicem⁹, nec inficias ibunt Patres conſcripti cum Civib⁹, Illo autore atq; agente cœpiſſe impoſterum Remp. noſtram in triſtibus confidere, in arduis eniti, ſibi conſulere, aliis non deeſſe, fidem tueri, magnanimitatem non demittere, omnia cœpta ſingulari prudentiæ arte non moderari magis, qvam honeſtare. Et qvanqvam ea ſapientia indies non ſine omine ſecuturi neſcio cujus fati impeditior, Hornii tempora turbaret, non item tamen conſilia conturbavit. Excitabatur in capaces ſeculi & diſcriminum curas animus ad hoc ipſum ſervatus, ut oſtenderet publicè Freibergenſium Civitati nunqvam defuiſſe recta cupiendi conſtantiam, ſuper fuiſſe intricata tractandi induſtriam, creviſſe etiam inter adverſa & deſperandi meliora fiduciam. Huc recidunt fermè, qvæ vir magnus innoxiis artibus maximâ contentione, in vegrandibus il-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0011-4

lis nullo ſuo merito inter tot Freibergæ fidelitatis ſpecimina contractis oneribus pro Patria aggreſſus, in eum locum poſuit, ut facile deinde perfici potuerit. Nemo Ejus hîc meritas laudes ſatis explicare, virtutem v. audeat diffiteri. Paucis: nullius pærfecturæ, Inſpectionis, ac curationis nomen civitas noſtra cognitum habeat, qvin inter præfectos, inſpectores, curatores, *Hornium ſuum* ubiq; numerent, ubiq; comendent optimum. Vivus & poſt fata acerrimas mentes optumaſq; in ſui cultũ excitavit, obliqvos ſibi devinxit, inimicos aut ab odio ſui divertit, vel eò adegit virtutibus, ut inviti fateri neceſſe habuerint & laudare Virum, non niſi laude dignum. Et qvi aliter fieri debuit? Uti enim muneribus ita defunctus eſt, ut ejus induſtriam ac probitatem boni omnes laudaverint: Sic officia pietatis neglexit minime, ſed omnia ea, qvæ ad colendum Deum & animæ ſalutem pertinere viſa ſunt procurandam, ſedulo executus eſt. Domi ſuæ & ubi degit, ſobriè vixit atq; frugaliter, nec tamen ſordidè & parcè. Res qvidem ſuas, ut Patrem familias bonum addecet, attentè qvidem curavit, ſed tamen ſedulò cavit, ne qvem injuria afficeret & ipſe per aliorum augeſceret damna. Juxta Juſtinum, ut optumus qviſqve facere, qvam dicere maluit, ad faciendum qvàm dicendum promptior, ea tamen modeſtia, ut ſi qvis dignam referre vellet gratiam, ignorari voluerit, qvàm ambitioſius prenſari. Non facile qvid promittebat, etiam ubi tuto licebat & copia erat, ne fallere videretur, cùm petitum excederet vires vel dantis poteſtatem. Gratiæ nihil dabat, neq; niſi dignos ſpartis admotos volebat, qvibus ipſius votô, qvoq; dandus erat, qvi exornaret, non deformaret. Nihil majore habebat odio, qvàm ſuperbiam, hanc ipſe cane pejus & angve fugiebat, & in aliis deteſtabatur, immotus, conſtans, alienus ab omni arrogantiâ & faſtu, qvæ ferme vitia aut imperitis aut vanis hærere ſolent, publici Egregii, ſiqvisqvam alius, Studioſus, nec tamen ut eſſe pronunciant debere, ſimulationum ac diſſimulationum erat artifex, fraudiſq; civilis & ſophiſmatum in gerunda Rep. architectus, cujus generis cùm nihil faciant, niſi qvod cerebroſis rectum videtur, vitia tamen ſub virtutum ſpecie occultant, legum audiunt cuſtodes, ſed non raro ſunt proditores; Leges aliis demandant obſervandas, ipſi v. migrant petulanter. Verùm vendant alii jus, ipſe reddidit & unde juſtitiâ ſtare viſa eſt, in eam partem pronunciavit, liber atqve invicti non modo adverſus metum animi; ſed avaritiam qvoqve. Nec ſollicitandus muneribus, nec detrimenti ullius timore dimovendus á Rectô, virtutumq; ſtudiô. Qvis illô igitur aut nobilitate, aut probitate aut ullo laudis genere præſtantior? nullius tantum flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tantaq; copia, qvæ non dicam exornare ſed enarrare b. noſtri. Hornii virtutes poſſit: tamen hoc affirmo & pace veſtrâ dicam, nullam in his eſſe laudem eâ ampliorem, qvam ex tot liberaliter in uſum certiſſimum rerum publ. educatis præclaris ingeniis reportavit: Soleo ſæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris uſurpare ſermonibus, pauca hujus Civitatis & Clariſſimorum in ea virorum hujuſmodi beneficia cum hujus vel contentionum magnitudine, vel numerô conferri poſſe perſonarum, vel varietate Studiorum, vel promptitudine dandi. Superavit non dicam liberalitate, verùm & magnificentiâ, majores ſuos, celebres beneficiis in Eccleſiam, in pauperes, & qvæcuncq; piarum cauſarũ nomine donari dicuntur, imò præter unum hîc omnes benefactores, qvi beneficentiâ poſteris innotuere. fœnus qvod qvotannis venit è centum florenis pauperibus è totidem Convictoribus in Gymnaſiô pro-

veſti-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-75094-p0012-9

